



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 187. Huniades fuga vitæ suæ consulens

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.
A.C. 1448.

§. CLXXXVII.

Huniades fuga vitæ suæ consulens.

Huniades, ubi Zechelem occisum, & nonnulla signa a Turcis capta animadvertit, fugam solus equo velocissimo præripiens tres dies per avia & invia sine ullo cibo aut potu dejectus, quarto demum incidit in duos latrones, a quibus spoliatus, cum iidem inter se de cruce aurea e collo ejus pendente, cujus esset, altercarentur, ipse rapto unius gladio, eum lethali vulnere confecit, alterum in fugam convertit. Sinderoviam inde profectus, Georgii Serviaë Despotis jussu per summam perfidiam Viro probo indignam captivus detinetur, ac durissimis conditionibus, datoque in obsidem Ladislao juniore filio suo libertatem redimere cogitur. Huniades temporis injuriæ parumper cedendum ratus, paulo post tamen, dum in Hungariam ingenti honore exceptus rediit, Despotæ dittonem infestis armis invasit, ac Filium suum ex Georgii manibus eripuit. Historicorum nonnulli literis prodidere, Turcas parta victoria ab Amurate petiisse, ut pascha ipsorum eodem certaminis loco in gratiarum actionem solido triduo celebraretur. Phranzes testatur, Amuratem sub idem quoque tempus vestes, officia &

Leunclav.
l. 14.
Phranz. l. 3.
cap. 32.

& pugnandi formam Janissaris, ut vocant, Sæcul. XV.
 usitatam reformasse, pluribusque auxisse A. C. 1448.
 prærogativis, ea tamen lege, ut cælibes
 permanerent; timebat enim, ne uxorum
 ac filiorum sollicitudo eorum animos a
 generosi militis officiis averteret, ac igna-
 vos redderet.

§. CLXXXVIII.

*Turonense Concilium Provinciale An-
degavi celebratum.*

Hoc anno Turonensis Synodus Provin- Conc. gener.
 cialis mense Julio Andegavi celebra- Labbe to. 13.
 ta est, Joanne Archiepiscopo Turonensi p. 1350.
 Præside. Aduere ejusdem Suffraganei,
 Petrus Macloviensis, Joannes Cenoma-
 nensis, Guilielmus Nannetensis, Robertus
 Redonensis, Joannes de Bellavalle, cete-
 rique tam Episcopi, quam Abbates vel
 eorum Procuratores. Ad tollendos non-
 nullos abusos decem & septem condita
 fuere statuta seu decreta. I. Cuilibet
 Sacerdoti injungitur, ut singulis diebus non
 solemnibus dicat officium mortuorum ad-
 minus cum tribus lectionibus. II. Distribu-
 tiones quotidianæ non dentur absentibus ab
 horis & anniversariis. III. Nullus Cano-
 nicus in diversis Ecclesiis pro eadem hora di-
 stributiones recipiat. IV. Præsentes horis
 Canonicis silentium teneant, orationes de-
 vote audiant, nec bini in Choro horas ipsas
 dicere